



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

**Thomæ A Kempis Canonici Regularis Ord. S. Augustini De  
Imitatione Christi Libri Quatuor**

**Thomas <von Kempen>**

**Coloniæ, 1723**

XIII. De obedientia humilis subditi , ad exemplum Jesu Christi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-45773](#)

## C A P U T   X I I I .

*De obedientia humilis subditi ad exemplum JESU CHRISTI.*

1. **F**ili , qui se subtrahere nititur ab obedientia, ipse se subtrahit à gratia : & qui quaerit habere privata, amittit communia.

Qui non libenter & sponte suo Superiori se subdit, signum est quod caro sua necdum perfectè sibi obedit ; sed sæpe recalcitrat & remuratur.

Disce ergo celeriter Superiori tuo te submittere , si carnem propriam optas subjugare.

Citius namque exterior vincitur inimicus , si interior homo non fuerit devastatus.

Non est molestior & pejor animæ hostis , quam tu ipse tibi , non bene concordans spiritui.

Oportet omnino verum te assumere tui ipsius contemptum , si vis præva-

eo cap

prævalere aduersus carnem & san-  
guinem.

Quia adhuc nimis inordinatè te  
diligis , ideo plenè te resignare alio-  
rum voluntati trepidas.

2. Sed quid magnum , si tu , qui  
pulvis es & nihil , propter Deum te  
homini subdis ; quando ego Omni-  
potens & Altissimus, qui cuncta crea-  
vi ex nihilo , me homini propter te  
humiliter subjeci ?

Factus sum omnium humillimus  
& infimus , ut tuam superbiam  
meā humilitate vinceres.

Disce obtemperare, pulvis. Disce  
te humiliare , terra & limus , & sub  
omnium pedibus incurvare.

Disce voluntates tuas frangere , &  
ad omnem subjectionem te dare.

3. Exardeste contra te , nec patia-  
ris tumorem in te vivere : sed ita  
subjectum & parvulum te exhibe, ut  
omnes super te ambulare possint, &  
sicut lutum platearum conculcare.

Quid habes., homo inanis , con-  
queri?

Quid,

ex-  
tur  
ra-  
ere  
uo  
od  
e-  
r-  
o  
n  
r-  
z-  
e  
s-

Quid, sordide peccator, potes contradicere, exprobrantibus tibi, qui toties Deum offendisti, & infernum multoties meruisti?

Sed pepercit tibi oculus meus, quia pretiosa fuit anima tua in conspectu meo, ut cognosceres dilectionem meam, & gratus semper beneficiis meis existeres:

Et ut ad veram subjectionem & humilitatem te jugiter dares, pati enterque proprium contemptum ferres.

## C A P U T XIV.

*De occultis Dei iudiciis considerandis,  
ne extollamur in bonis.*

i. **I**ntonas super me iudicia tua, Domine, & timore, ac tremore concutis omnia offa mea, & expavescit anima mea valde.

Sto attonitus, & considero, quia cæli non sunt mundi in conspectu tuo.

Si in Angelis reperiisti pravitatem,  
nec